



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAESATIS CONSTAT**TEMPLUM IN DIOECESI SEDUNENSI B. M. V.

SUB TITULO «NOTRE-DAME DE VALÈRE» DICATUM

**AD GRADUM AC DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Satis constat praeclarum templum, quod B. M. V. sub titulo «Notre-Dame de Valère» dicatum ipso in loco v. d. Valere exstat in dioecesi Sedunensi, non modo Christianae fidei signum esse sed magni etiam venerationis cultus, quo plurimi illic Christifideles a saeculo XII ad praesens usque tempus pie Beatissimam Virginem Mariam sunt prosecuti. Neque interea facere possumus quin iucundissima fruamur recordatione eiusdem sacrae aedis, quam ipsam scilicet Nostrae visitationis pastoralis causa ad id quoque loci pie peregrinantes Ipsi nuper invisimus, ubi dulcissimam tantae Matris imaginem genibus nixi summaque cum religione invocavimus. Nunc autem, quod ad Nos pertinet, qui profecto cupimus ut et templum ad fidem in Deum et ad caritatis communionem inter omnes alendam eo ex variis etiam locis se conferentes religionis causa, tum ad sollemniores in memorata dioecesis ritus fovendos et ad publicum Marialem cultum magis magisque tuendum quam maxime conferant, re attente considerata, statuimus preces audiendas esse, quas Sanctae huic Sedi hand ita pridem adhibuit Venerabilis Frater Henricus Schwery, Episcopus Sedunensis. Ipse enim, communia cleri populique vota expromens, petiit ut praestabile, quod diximus, templum titulo ac honore Basilicae Minoris decoraretur. Quare, ratam habentes sententiam Congregationis pro Cultu Divino, necnon id confirmantes, quod hac de re peculiaribus hodie peregit a Nobis sibi factis facultatibus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute ac perpetuum in modum nominatum templum B. M. V. sub titulo «Notre-Dame de Valère» sacrum ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus, cunctis ei traditis iuribus et concessionibus, quae ceterarum eiusmodi ordinis Basilicarum sunt propria, servatis tamen servandis ad statuta Decreti «de titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgati. Iubemus denique has Litteras Nostras religiose observari suosque nunc et in posterum effectus habere. Contrariis rebus haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno Mariano vertente MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* ©

Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana